

**Disputationem publicam inauguralem de febribus intermittentibus /  
[Assuerus Regemorter].**

**Contributors**

Regemorter, Assuerus, 1614-1650.

**Publication/Creation**

Leyden : W. Christianus, 1635.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fdumxebg>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

5398  
83762  
*Quod bene vertat Deus Opt. Maximus.*

DISPV TATIONEM PVBLICAM

I N A V G V R A L E M

D E

Febribus Intermittentibus;

*Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. FRANCONIS BVRGERS DICII,**

lib. Art. M. Philosophiae Professoris Clarissimi; Consensu  
Amplissimi Senatus Academicus; decreto inclytæ Facul-  
tatis Medicæ;

*Vt Doctoratus gradum in Medicina obtineat;*

Indicit

**ASSVERVS REGEMORTERVS,**

Londino Anglus.

*Ad diem 22. Ianuarij, Horis locoque solitus.*



*LUGDVNI BATAVORVM,*

**Excudebat WILHELMUS CHRISTIANI.**

c I o I o c xxxv.

*Reverendis, Consultissimis, Spectatissimis  
VIRIS,*

D. AMBROSIO REGEMORTERO,  
Ecclesiæ Londino-Belgicæ Pastori fide-  
lissimo, Parenti suo colendissimo;

D. PETRO CVNÆO, I.V.D.  
& ejusdem Facultatis in Acade-  
mia Lugd-Bat. Prof. celeberrimo.

D. HERMANNO CLINCBILIO,  
Med. Doct. & apud Middelbur-  
genses Practico vigilantissimo,

D. WILHELMO THILENO,  
Verbi divini Preconi dignissimo,

*Cognatis  
suis plu-  
rimum  
honoran-  
dis;*

*93762*  
*VT ET*

*Amplissimo, Litteratissimo, Clarissimo Viro,*

D. THOMÆ FARNABIO, olim stu-  
diorum suorum Promotori summo, de se-  
meritissimo;

*Hanc Disputationem Inauguralem observantia  
debitæ ergo dedicat, consecratque*

ASSUERUS REGEMORTERUS,

*Respondens.*



# DISPV TATIO MEDICA

IN AVGVRALIS,

D E

## Febribus Intermittentibus.

### T H E S I S . I.



E Febribus Intermittentibus verba facturi, præcipua quæ de ijs in genere dici possunt præmittemus, descensuri deinde ad earundem species, quum, monente Arist: in Post: Analyt: affectio genericæ generi sit accommodanda, non speciei.

### I I.

Antiquis Febris Intermittens dicebatur quæcunque aliquam in calore mutationem Periodicam habebat, nunc exacerbata, nunc remittens. Nos cum Recentioribus Intermittentem contra-distinguimus omni Continuæ sive sit Σωοχὸς sive Σωεχῆς, & per eam intelligimus Febrem Putridam periodicam, in quâ inter exacerbationes duas mediat Ἀπυρεξία.

### I I I.

Quemadmodum causa proxima Febris Continuæ sunt vapores putridi continuò Cor afficientes; Ita Intermittentis sunt vapores putridi per intervalla Cor impetentes.

### I V.

Quare, Ideò Paroxysmum excipit Ἀπυρεξία, quia per eum materia putrida vapores putridos subministrans è corpore excreta est. Facultas etenim Expultrix ab eâ effervescente lacepsita eam extra Vasa eructat, & in illas partes excutit in quas extrema Venarum & Arteriarum desinunt, Ventriculum, Intestina, Renes, Habitum corporis, ex quibus deinde è corpore eliminatur.

V.

Ideò Aπρεξίαν excipit alias Paroxysmus, quia ob perseverantem in parte aliqua primæ Regionis debilitatem nova materia excrementitia Aπρεξίας tempore in foco subnata, (vel etiam anté ibidem collecta sed ob ineptitudinem nondum putredinem perpessa) partim proprio vi-  
tio, (τοινίας μοχθηίας inquit Gal:) partim à putridis ex præcedenti paroxysmo reliquiis, (τὸ τέγματος μένων οπεδονώδεις τελετάτων) suo tempore fermentatur, in Vasis effervescit, unde rursus vapores putridi ad Cor elevantur.

V I.

Ideò servant determinatam Periodum humores singuli, ut Bilis alternis; Pituita quotidie; Melancholia quarto quoque die Paroxysmum exhibeat; quia à fermento putredinali (οπεδονώδεις τελετάτων) ex præcedenti Paroxysmo in foco relicto, à quo humores excrementitij novum facturi Paroxysmum initium putredinis capiunt, in diversis Febribus diverso, statis illis temporibus ad gradum istum putredinis deducuntur, sub quo effervescentes in foco Expultricem lacestant.

V II.

Paroxysmorum Longitudo & Brevitas pendent ex humoris quantitatis & qualitatis, Virium, & Corporis constitutionis ratione. Si humor sit multus, frigidus, crassus, viscidusque; Vires debiliores; & corporis habitus densior, longissimus fit Paroxysmus: si contrario modo se hæc habeant, fit brevissimus: si medio modo, etiam medio modo se habet Paroxysmi duratio.

V III.

Anticipant aut Postponunt Paroxysmi sub eodem Typo, ubi facta est mutatio aliqua accidentalis in humore excrementitio facturo Paroxysmum, nimirum sec: quantitatem vel qualitatem, ex quacunque causâ id eveniat.

Tunc

Tunc etenim variatâ dispositione patientis humoris, dif-  
formiter in eo recipitur actio fermenti putredinalis, ci-  
tius vel tardius. Non tamen plane mutatur Febris Typus  
ex: gr: Tertianus Typus in Quartanum, nisi ubi fermen-  
tum putredinale transit in aliam speciem, Biliosum ex:  
gr: in Melancholicum. I X.

Focum in Febre Intermittente statuimus ramos Venæ  
Portæ, Splenicos & Mesentericos. In his etenim conge-  
runtur humores illi excrementitii, sive id fiat ob errorem  
externum in cibo & potu sec: qualitatem, quantitatem,  
tempus & ordinem assumendorum ; sive id fiat ob Partis  
alicujus primæ Regionis vitiosam dispositionem contra-  
etam ex ijs quæ assumuntur, quæ geruntur, quæ retinen-  
tur & excernuntur, aut quæ forinfecus admoventur ; qui  
putrescentes, & inde quasi ebullientes, Expultricem irri-  
tant, quæ tum eos per corporis vasa & meatus sensibili-  
ter & insensibiliter quâ data via evacuat, cum ij humori-  
bus utilibus non sint exactè commisti, sed tantum confusi  
quasi, adeoque pepasmum, ut excernantur, (quemadmo-  
dum in Continua) non flagitent. X.

Febris Intermittens vel Tertiana seu Biliosa, vel Quo-  
tidiana seu Pituitosa est, vel Quartana seu Melancholica ;  
& quilibet harum vel Pura, ex humore simplici: vel Notha  
ex humore alij commisto, ita tamen, ut inter se quasi sub  
unâ formâ coeant. Dantur etiam, etsi rarissimè, Intermit-  
tententes longioris typi, quintani, sextani, septimani &c.  
An rari hi typi sunt species simplicium typorum interpo-  
latâ una accessione aut pluribus, ut censet Doctiss. Cæ-  
salpinus ? An potius, cum hæ febres longæ esse, & Au-  
tumno ferē ut Quartanæ oriri dicantut, fiunt ab humore  
melancholico diversi gradus ab eo qui Quartanam efficit,  
qui à οπεδονάδη μιάσματι sibi respondentē ante quintum,  
sextum, septimum, &c. diem non effervescit, sive ob re-

sistentiam humoris excrementitii contra putredinem, si-  
ve ob parvam fermenti putredinalis activitatem, sive ob u-  
tramque?

X I.

Signum hujus Febris proprium & inseparabile est *A'm-  
geξία* inter duos Paroxysmos. Est & proprium & insepa-  
rabile signum Rigor, Horror, aut Refrigeratio Periodica  
in principio Paroxysmi. Fit hic Rigor, à quo Horror tan-  
tum sec. minus differt, Et, quia partes membranose habi-  
tus corporis compatiuntur partibus membranosis abdo-  
minis ab humorum putrescentium agitatorum acrimoniam  
vellicatis; Et, quia ipsae vellicantur ab humoribus acribus  
ad ambitum corporis profusis. Refrigeratio Partium ex-  
ternarum fit retracto calido influente versus suum prin-  
cipium.

X II.

Omnis Febris Intermittens suā naturā minus pericu-  
losa est Continuā.

Terminatur tunc ex toto, cum sublata est dispositio  
prava in parte debili humores excrementios ad putre-  
dinem tendentes suppeditante; & fermentum putredina-  
le è foco excussum est; quod aliquando fit cum ejus è cor-  
pore eliminatione, aliquando cum ejus in partem exter-  
nam ignobilem *αναδώσῃ*.

Terminantur Paroxysmi, humore putrido sensibiliter  
per vomitum, alvi fluxum, vrinas, sudores, & insensi-  
biliter per transpirationem e corpore profligato: Ideoq;  
ut antea diximus, breves aut longi sunt, pro harum Via-  
rum, Humoris, & Virium ratione

Brevitatem & Longitudinem morbi ostendent signa  
coctionis, quæ quò citius vel tardiùs apparent, eò bre-  
vior vel longior erit morbus. Paroxysmorum quoque  
mutationes, & τις αλισθατες αλληλας ανταποδοσιες per-  
pendendæ sunt. Quibus inquit Hipp. l. 4. Aph. 30. Paro-  
xyymi fiunt, quacunque Horā febris dimiserit, eadem si postero die  
repe-

repetat, judicatu difficultas esse solet. Sin aliâ horâ redeat, vel anticipando, vel postponendo, fere brevior erit morbus.

### XIII.

Medendi Indicationes in hâc febre sumunrur à Causâ, Febre ipsâ, & Viribus. Humores nimirum excrementitij geniti sunt præparandi, evacuandi, & ne novi subnascantur ~~aliquæ~~ prava in parte eos cumulante tollenda; Fermentum putredinale in foco relictum extirpandum: Ratione Febris refrigerandum est: Vires sunt conservandæ.

### XIV.

His Indicationibus satisfaciendum Chirurgiâ, Pharmaciâ, Diætâ. Si ergò adsit Plethora in corpore Pura vel Notha, Respectu Vasorum vel Virium, præmisso Clysterc aut Leniente medicamento secetur Vena in brachio, tempore Intermissionis, nunquam cum Iac. O Etheo in Paroxysmo. Vicariæ Phebotomiæ sint Cucurbitulæ cum scarificatione. Hæmorrhoides internæ, cum è foco evacuent, apertæ magnam utilitatem adferunt, sed ne tententur earum apertio in non assuetis, nisi, Naturâ hanc viam affectante, tumidæ fuerint. XV.

Quomodo humores excrementitii sint præparandi, & evacuandi, & partis affectæ debilitas tollenda, in specie postea dicetur. Fermentum putredinale commodissimè Sudoriferis discutitur. Periculosisssimæ tamen plenum opus aleæ est cum Rulando solis sudoriferis in curatione hujus morbi uti, non præmissis alijs evacuationibus. Non semper etiam tutò adhibentur illa quibus quidam Paroxysmum impediunt, Creta, Pulvis è Cochlearum testis, ex oculis Cancri &c. nisi ante subductis per purgantia humoribus excrementitiis. Topica carpo applicata ex teli aranearum, oleo earum, fuligine è furno &c. non sunt omnino improbanda, præsertim si febris in Declinatione versetur. Dum hæc omnia peraguntur, Roboran-

tia non sunt negligenda; interna & externa; Febrisque ipsius habenda ratio. XVI.

Exhibendus cibus cum vires eum indicant, neque aliquid adest quod eum prohibeat. Quare in Paroxysmo non exhibendus, nisi insignis Virium resolutio id efflagitet. *Quicunque morbi*, inquit Hipp. l. i. Aph. xi. per Periodos exacerbabantur in eorum Paroxysmis cibum subtrahere oportet. Et, si indicatione à Viribus superante contra-indicationem à causâ morbificâ, concedatur in exacerbatione cibus; declinandus in eo tum exhibendo, quantum quidem licet, Status. Quo Febris est diuturnior eò cibo crassiore & copiosiore utendum, ut Vires ad Statum usque durent. Quis cibus & potus cui speciei conueniat postea in specie proponemus. Somnus vitetur in Paroxysmo, præcipue ante Declinationem, &c.

## de TERTIANA INTERMITTENTE.

### XVII.

Tertiana Intermittens est, quæ tertio quoque die exacerbatur, orta à vaporibus putridis tertio quoque die ex bile excrementitia in primis viis putrescente elevatæ. Si Bilis hæc sola sit, fit Pura; si Pituitæ aut Melancholiæ commista, fit Notha. Bilis autem hujus Febris causa non tantum est Naturalis qualis ea est quæ in vesiculâ fellis colligitur, sed & Præternaturalis, Vitellina, Porracea, Æruginea, & Isatodes.

### XVIII.


Causæ ergo remotæ hujus Febris sunt quæcunque faciunt ad Bilis cumulationem in primis viis: Constitutio calida & sicca Totius, aut Ventriculi, & præcipue Hepatis, intra vel extra sanitatis limites consistens; Alimentorum calidorum & in bilem fæcundorum multus & diutinus usus; Vigiliæ; Curæ; Ira; Inedia; Exercitia & labores vehementes; Retentio biliosi humoris evacuari soliti;

Aer



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3186966x>



fectionem, & permittant Vires, secunda Vena. Neque in eligendo tempore venæctionis tam respiciendum est ad numerum Paroxysmorum, quam ad præsentiam Indicantis & absentiam Prohibentis. Ideoque & statim post primum Paroxysmum poterit institui venæsectio. Vires in Tertianâ Nothâ largiorem sanguinis detractionem permittunt, quam in Purâ.

### XXIV.

His præmissis, præparanda Bilis syr. acetos. f. oxyfacch. de acetos. citri, de cichor. f. cum aq. & decoct. rad. cich. gram. tarax. endiv. scariol. lactuc. &c. in Nothâ addantur syr. cap. ven. byzant. de fumar. oxym. f. &c. cum aq. vel decoct. rad. fænic. beton. chamæm. absinth. &c. Præparata eò ducenda quò maxime vergit. Si sursum excludatur per vomitum iis quæ supra proposuimus: si deorsum vergat, commodissimè exhibetur Rhab. 3j. vel 3jβ in aq. vel decoct. cichor. endiv. vel sero lactis, cum spicæ & schoenanthi 3β infus. add. col. express. pulp. tamar. &c. In Nothâ Phlegmagoga, vel Melanagoga admiscenda. Post purgationes reliquæ humorum per urinas & sudores evacuandæ. Per urinas eas subducent emulf. sem. 4. frig. maj. factæ per serum lactis vel aq. gram. frag. &c. decoct. rad. gram. asparag. fænic. cap. ven. absinth. &c. Discutient eas per sudores aq. hord. acetos. card. bened. scabios. fumar. centaur. min. &c. Post has evacuationes, Partes debiles roborandæ, residuumque fervoris extinguendum. Assumatur ergo conserv. cichor. viol. acetos. cort. citri condit. diamarg. frig. diarrhod. Abb. diatr. fantal. &c. Foveatur Ventriculus decoct. ros. rubr. menth. absinth. spic. &c. Deinde rigetur ol. absinth. mastich. nard. &c. Foveatur Hepar decoct. cich. endiv. tarax. ros. agrim. absinth. chamæm. &c. Inungatur ung. ros. fantal. &c.

### XXV.

Aer quem inspirat æger frigidus sit naturâ, vel arte. In Purâ frigidior quam in Nothâ. Cibus sit refrigerans, & hu-

meatans, εὐπεπτός & εὐχυμός, ut Ptisana, juscula ex pull. gallin. & carn. vitul. alterata lactucā, portul. endiv. acetos. & borrag. & perfusa limonum succo; carnes pull. gall. &c. In Nothā pro ratione humoris commisti minus sit frigidus cibus, sitque attenuans, & largius exhibendus. Potus sit cerevisia tenuis, quæ, si opus sit, idoneis plantis poterit alterari. Tempus eum in Paroxysmo exhibendi est Status. Alvus respondeat suo officio. Denique cum corporis quiete, animi tranquillitas conjugatur.

## de QVOTIDIANA INTERMITTENTE.

### XXVI.

Quotidiana Intermittens est, quæ quotidiè exacerbatur, orta à vaporibus putridis quotidiè ex Pituitâ excrementitiâ in primis viis putrescente elevatis. Causæ ergò remotæ hujus Febris sunt quæcunque faciunt ad Pituitæ cumulationem in primis viis: Constitutio frigida & humida Totius, aut Visceris alicujus, Ventriculi præcipue, Hepatis, &c. Alimenta frigida & humida; Somnus nimius; Voracitas; Vita defes, aut Exercitia intempestiva; Veneris usus immoderatus; Consuetæ evacuationes pituitosæ suppressæ; Aer frigidus & humidus; &c.

### XXVII.

Cognoscitur, si præcesserint illa quæ diximus facere ad Pituitæ congestionem in primis viis: Si invadat Febris nocturno tempore præcipue, idque cum extremorum tantum Refrigeratione, aut Horrore; si inde calor foras tardè prorepat isque admotæ manui halitusosus primò occurrat instar fumi ex accensis lignis viridibus elevati, manui autem diutius admotæ utcunque mordax appareat, si deinde à calore diffuso non multum angatur æger siti, difficultate respirandi, &c. Adebat corporis gravitas, propensio in somnum, sæpe in principio Paroxysmi Lipothymia, &c. Pulsus tanto minores sunt pulsibus Quartanæ quanto Quartanæ pulsus minores sunt

sunt Tertianæ , &c. Dejectiones per alvum & urinas crudæ sunt , &c. Paroxysmus durat ad horas 18. Hæc cernuntur in Purâ; in Nothâ & ea quæ humorem commistum attestantur.

### X X V I I .

Febris hæc non omnino caret periculo , cùm diurna sit , & quotidiè infestet; ideoq; nonnunquam ægrum; labefactatâ Viscerum œconomia, in Cachexiam, Hydropé, &c. deducit.

Durat ad dies 40 , 60 , & amplius. Si Initio Paroxysmi accidat vomitus , & in Statu, sudor , brevitatem morbi significat. Cum urinæ post tenues & aqueas redduntur crassiores, turbidæque , & rubræ , expectandus brevi Status.

### X X I X .

Pituita ut frigida, indicat calefaciendum esse ; ut humida, siccandum. Contra-indicat Febris. Idcoque Indicationis potioris major habenda ratio, quæ quidem hîc à causâ sumitur. Ut crassa , indicat attenuandum ; ut viscida , incidentum & abstergendum. Humor præparatus evacuandus. Pituitæ generatio per dispositionis eam cumulantis sublationem prohibenda. Reliquæ pituitosæ extirpandæ. XXX.

Ad vias ergò primas evacuandas paretur Clyster ex decoct. bet. mercurial. pariet. flor. chámæm. melilot. summ. aneth. sem. anis. fænic. cartham. surf. add. elect. diacarth. hier. picr. mel. ros. &c. Si ægri natura ferat , utilissimè provocabitur vomitus per succ. aut decoct. raph. sem. tripl. aneth. genist. asar. &c. Lenitiva parentur ex aloë , &c. Venæ sectio raro in hâc Purâ locum habet. XXXI.

Præparetur deinde materia oxym s. & c. syr. acetos. byzant. s. & c. de 2. rad. de 5. rad. de hyssop. cum decoct hys sop. beton. agrim. cap. ven. calamint. &c. incipiendo à mitioribus inde sensim ad valentiora progrediendo. Præparatus humor per Vomitum educetur ijs quæ ante proposuimus : per Alvum diaphæn. agar. troch. diacarth. mechoac. turbith &c. Et omnino continuandus usus præparantium &

purgantium ; donec corpus humorum aëri sufficienter solutum videatur. Per urinas postea reliquæ deturbandæ decoct. rad. aper. cic rubr. &c. Per sudores eas discutient decoct. catd bened. sarsæpar. saffafr. sal. absinth. theriac. &c. & balnea sicca, vel humida ex decoct. herb. calef. & sicc. calaminth. orig. thym. artemis. rorism. deinde post baln totū corpus, præcipuè spina dorsi, fricitur, eaq; ol. irin. costin. &c. inungatur. Deniq; Visceribus, (quæ etiam dum hæc omnia fiunt non negligenda, præcipuè ventriculo roborandis studendum. Concinnetur ergò Opiatæ ex troch. de absinth. cort. citr. condit. aromat. ros. cōserv. anth. syrup. de menth. diatr. piper. &c. Inungan- tur hypochondria ol. Chamæm. mastich. de nuc. mosch. &c. Applicetur Ventriculo cerat. stomach. empl. de bacc. laur. &c. In Quotidiana Nothâ pro humoris admixti ratione variet cu- ratio.

### XXXII.

Contineat se Æger in Aere modicè calido sicco , puro & lucido. Victus satis plenus fit , ut proportionetur morbi lon- gitudini. Sit incidens & attenuans. Condiantur ergò carnes petrosel. chærefol. hyssop. thym. puleg. &c. Potus fit hy- drofacch. cinam. conditum , hydromel , vinum oligopho- rum , &c. Vigiliæ & exercitatio modica , modò vires per- mittant, magis sunt ex usu quam somnus & otium. Excretio- nes consuetæ ut procedant ; procurandum. Animus ad hila- ritatem componendus.

### de QVARTANA INTERMITTENTE.

### XXXIII.

Quartana Intermittens est , quæ quarto quoque die exacerbatur , orta à vaporibus putridis quarto quoque die ex Melancholiâ excremen- titiâ in primis vijs putrescente elevatis. Pura fit à sola Melancholia naturali : Notha & à præternaturali, quæ in specie Atra Bilis dicitur ; & à naturali Pituitæ aut Bili commista.

### XXXIV.

Causæ ergò remotæ Quartanæ Puræ sunt quæcunque fa- ciunt

ciunt ad Melancholiæ cumulationem in primis viis. Constitutio frigida & sicca Totius, aut Ventriculi, Lienis, & Hepatis; Alimenta crassa & fæculenta; Vita tristis, solitaria; Consuetæ evacuationes melancholicæ per hæmorrhoidas, alvum, uterum in mulieribus, &c. suppressæ; &c.

### XXXV.

Cognoscitur, si præcesserint illa quæ diximus facere ad melancholiæ in primâ Regione corporis cumulationem: si Paroxysmum statim antecedat frequens oscitatio & pandiculatio; si inde invadat cum molesto Horrore & Refrigeratione, aut etiam Rigore; si deinde calor tardè foras prorepens non sit æstuosus, sed submissus, mordacior tamen quam in Quotidianâ; &c. Pulsus in hac Febre sunt rarissimi, videturque Arteria quasi ad interiora retracta. Vrinæ initio tenues sunt & aqueæ, in progressu crassiores, coloratioreſq; sed in colore & contentis ſæpe variantes. Sitis & Vigiliæ ægrum vehementius premunt quam in Quotidianâ, mitius tamen quam in Tertiana; &c. Paroxysmi ſæpius intra 12. horas terminantur; interdum & ad 24. horas extenduntur. Et hæc quidem significant Puram, Notha ex signis Atræ Biliſ, & humoris committi innotescit.

### XXXVI.

Quartana Pura ferè periculo caret, modo sit sine gravi viſceris alicujus affectu. Liberat ægrum ſæpè ab affectibus gravissimis. A Convulſione, ex 70. Aph. l. 5. ab Epilepsiâ, ex l. 1. Epidem.

Durat ſæpe non ſolum ad aliquot menses, ſed & annos. Æſtiva ut plurimum brevior est Autumnali, præcipue ea quæ Hyemem attingit, juxta Aph. 25. l. 2. Notha brevior eſt Pura.

### XXXVII.

Melancholia, cùm frigida & ſicca ſit, indicat calefaciendum & humectandum. Cùm etiam crassus ſit, indicat attenuandum. Præparatus humor evacuandus. Melancholiæ ge-

nera-

neratio per dispositionis melancholicæ sublationem prohibenda. Reliquæ melancholicæ expellendæ.

### XXXVIII.

Per Clysterem ergò emollientem, aut medicamentum leniens ore assumptum ex cass. polipod. epithym. diacathol. &c. alvo repurgatâ, si conveniens Indicati materia videatur venælectio, instituetur ea utilissimè in Basilicâ aut Medianâ sinistrâ, præfertim si detur Anastomosis Vasis brevis cum Diaphragmaticâ sinistrâ, cuius mentionem facit Cl. Riol. Anthrop. l. 2. c. 17. Aperiatur Vena satis ample foramine, ne sanguis tenuior & serosior tantum effluat crassiore in venis restibili. Non video quam prærogativam hîc habeat sectio Salvatellæ. At Hæmorrhoides internæ quæ plerumque à ramo Splenico proficiscuntur, cum melancholicus humor maximè circa Lienem restagnet, cum summo Ægri commodo in hâc Febre aperientur, versus Cocygen & magis introrsum ad Intestinum admovendo hitudines.

### XXXIX.

Attenuetur hinc humor initio lenioribus minusque calidis ut syr. de borrag. bugl. de fumar. s. de pomis. &c. cum aqua borrag. bugl. endiv. fumar. &c. Deinde ad fortiora progrediendum, syr. de melis. de fumar. c. de 5. rad. oxym. scillit. &c. Si horum efficaciam eludat humoris crassities, ad medicamenta è chalybe parata, ammoniac. extract. splen. bov. &c. adscendendum. In morbi progressu admixta antiscorbutica sunt ex usu, ne ad malignitatem scorbuticam declinet humor melancholicus. Materia probè præparata evacuetur primò mitioribus purgantibus, syr. de pom. Reg. Sab. de epith. de fol. senn. diacathol. &c. inde deveniendum ad fortiora confect. Hamech. pil. ind. sine quibus. de lap. lazul. oxy m. hell. Geln. &c. Repetantur saepius præparantia & purgantia, cum humor per crassitiem suam postulet *Præceptum*. Vomitus etiam per intervalla in hâc Febre procuratur utiliter, cum die-

diebus intermissionis, tum in principio Paroxysmi. Interea nonnunquam à medicamentis aliquandiu desistere expedit; Ut enim Melancholia, teste Aretæo, cedit cedentibus medicis, ita & Quartana: adeò ut quandoque optimum sit remedium, nullum adhibere remedium. Residuo expellendo per urinas & sudores conveniunt ea quæ in Quotidianâ præscripsimus. Ad viscera roborandat roch. de absinth. de eupator. de cappar. diacurc. dialac. &c. utemur. Et quidem in primis Lienis habeatur ratio, isque internis & externis confortetur, libereturque ab obstructionibus, quæ in hâc Febre sunt frequentes. Hac curatione occurremus Quartanæ Puræ; quæ quidem accommodari poterit Nothæ, si habeatur ratio humoris committi; aut, si sit ab Atrâ Bile, in humoris morbifici præparatione ea usurpentur quæ Bilis Atræ fericiam compescant, domentque, frigida scilicet & humida.

#### X L.

Aer in quo degit æger, ad calidum & humidum inclinet. Abstineat æger à cibis crassi & tartarei succi, carn. suil. bulb. præcipue fumo induratis, leguminibus, &c. Utatur illis qui vim humectandi habent, simulque attenuandi, ovis forbilibus, pull. gallin. carn. vitul. hædin. quæ condiantur borrag. cappar. &c. Conveniunt & uvæ passæ, poma dulcia, \* Potus sit cerevisia probè defæcata, vinum oligophotum &c. \* pruna, ptif. hord. &c. Conducit exercitatio modica; Ambula, inquit Palinurus apud Plaut. in Curcul. id lieni optimūst. Alvus si sponte suum officium non faciat, glande aut clystere ad id solicitetur. Fugiendæ denique summè Animi perturbationes, isque demulcendus hilaritate & bonâ spe.

F I N I S.

C

Eximia

*Eximia Virtute, Praeclarâ Eruditione Eminentissimo  
Iuveni Viro,*

**A S S V E R O R E G E M O R T E R O**  
**Supremâ Medicorum Laureâ**  
***ATHENIS BATAVORVM***  
**Publicè solemni ritu insignito,**  
**S. & Honorum Incrementum P.**

 *Væ T E Cupido? Quis stimulat Deus?  
Famæ famæ quæ suscitat indolem?  
Laudum quis ardor? signa veræ  
Enthea nobilioris auræ.*

*Quæ tanta Laurûs præmia? Quos Tibi  
Polcis Triumphos? O nove flos Opis,  
Miracla Naturæ latentis*

*Euphrosynes benè docte nisu.  
Bellator audax, prodiga mens suæ  
Vitæ, Triumphi claret honoribus.*

*Mactans truces Gradivus hostes,  
Nomine fit tituloque Victor.*

*Hebe maritum non nisi post graves  
Rerum labores, pulvere bellico,*

*Et sanguinis rivo madentem,  
Auricomâ redimit corollâ.*

*Ruina Trojæ, Priamidum rogus,  
Non serta Laurûs Æacides gerat,  
Hector Phrygum spes ni peremptus  
Ludibrium Patriæ perisset.*

*Sic ille mundi terror & unica  
Proles Philippi; Sic Latii metus;  
Virtutis ausu tot tropæa  
Auspiciis retulere faustis.*

*T E (credo) nunquam viderat impetu  
Ferro tremendum Marspiter hostibus  
Instare per cædes, per arma,  
Purpuream meruisse palmam.*

At hostiam T E sanguinis innocens  
Campis Agyeūs distinuit suis ,  
Virtus anhelantemque vidit  
Palladijs meruisse castris ;  
Dum monstra miles , Barbariæ luem ,  
Et otiosæ robur inertiae ,  
Inscitiam secli venenum ,  
Cum vitio vitiosiore ,  
Et spes Vacunæ , votaque Murciæ ,  
Et si quid usquam Luxus iners parit ,  
Fex ejeratrix eruditæ  
Germinis , exitialis ævo ,  
Victor tropæis exsuperas novis ,  
Immissus Hygiæ penetralibus ,  
Aurata decurris per antra ,  
Perque lares Opis , & Deorum ;  
Hanc Diva mentem Strenua subdidit  
Semper juventæ fida comes Tuæ ,  
Quùm T E Virum nosset daturum  
Ingenii documenta grandis ;  
Quam prosecutus non sine Numine ,  
(Minoiden Theseüs veluti Ducem ,  
Filo comes ; cæcos recessus  
Semiferi penetrat juvenci )  
Ad artis & Tu celsa palatia ,  
Arceſve degit queis pia Sanitas  
Sic perpenetraſti , sagacis  
Ingenij ſtimulatus cœſtro .  
En quid labor non efficit improbus !  
Lactata quid non laudis amoribus  
Virtus ! quid haustum corde Numen  
Ardet ubi meliore flammâ !  
Tali triumphos Dardanides tulit  
Labore . Tali natus Agenore .  
Sudore multo non veterno  
Nempe Dij bona cuncta vendunt .

Merces laborum quæ venit arduo  
Paranda nisu, suavior advenit,  
Honos onus mergit tenebris,  
Gloria fructibus aucta crescit.  
O maecte tanta Laudis adoreâ !  
Viroque dignam sumito jam togam,  
Vmbris tenebras linque : Nox est  
Acta Tibi, nitet igne cælum.  
Recens salutis Poeoniæ jubar  
Audis ; facultas plena Tibi datur

Litare Hospitalitati  
Re medicâ, medicoque rore.  
Totas Galeni divitias tenes :  
Te Coa mens, & Te Cor Apollinis  
Ex asse morborum favillas  
Et comites, famulosque Lethi  
Sic evidenter noscere singula  
Scitéque facto tollere phæmaco  
Ops erudivit, Téque totum  
In folio statuit Salutis,  
Vt penè ploret Tisiphone Stygis,  
Parcæ querantur lanificæ, Charon  
Spe falsus in Navi gemiscat,  
Antè suam relegens ruinam.  
O quos paternum quùm repetes Larem  
Plausus feremus ? qualia, quanta tunc,  
Docti Parentis docta Proles,  
Carmina quùm venies canemus !  
Nunc perge fælix quâ graderis viâ,  
Tibique Virtus nil sinat invium,  
Casus in omnes tuta ductrix,  
Præsidiumque futura vitæ.  
Nec siste gressum, tende sed altius  
Ad templa Famæ prospera. Nam Tibi  
Hygeia majores spopondit  
Laudis opes locuplete quæstu.

*Gratulab. scribit Auguste Trinovantum*  
**VENCESLAVS CLEMENS, de Libeo-monte.**